



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

II. De Varietate Censurarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

## ARTICULUS II.

## De Varietate Censurarum.

## SUMMARIUM.

24. *Censura alia à Jure, alia ab homine:*  
 25. *Alia lata, alia ferenda sententia est.*  
 26. *In dubio ferenda potius quam lata sententia censetur.*  
 27. *Censura non sunt Depositio & Degradatio:*  
 28. *Neque etiam Irregularitas & Censatio à Divinis.*  
 29. *Sed tantum Excommunicatio, Suspendio & Interdictum.*
24. **C**ensuræ sic declaratæ celebriores sunt tres divisiones. Prima solum accidentalis, quæ Censura à Jure, & alia ab Homine dicitur infligita. A Jure est, quæ per sacros Canones, Constitutiones & statuta Ecclesiastica fertur: & auctore, sive Prælato Ecclesiastico, Canonis &c. conditore mortuò, sicut Canon, Constitutio aut statutum, sic etiam ipsa perseverat. Ab homine est, quæ à judice vel Prælato fertur per modum mandati vel sententiæ judicialis: ab eoque sic pendet, ut ejus jurisdictione morte aliòve modo finitâ à nemine amplius incurratur: licet, qui eam ante incurrerunt, ligati maneant, donec absolvantur, Laiman. *Lbi. 1. tract. 5. p. 1. cap. 2. & Palao Tract. 29. disp. 1. p. 5. n. 2.*
25. Alterâ etiam accidentali divisione Censura ea præsertim, quæ à Jure est, alia Latæ, alia Ferendæ sententiæ dicitur esse. Ferendæ sententiæ est, quæ, licet Jure statuta sit, à delinquente ta-

men non ipsò factò, sive crimine commissò, statim incurritur: sed per sententiam à judice est infligenda: cujusmodi censura ferè denotatur verbis, futuri temporis habentibus significationem, vg. *Excommunicabitur. Suspendetur, vel Excommunicetur, Prohibemus sub excommunicatione vel Sub pena excommunicationis, Volumus excommunicari &c.* Latæ autem, quam delinquens ipsò factò sive criminis perpetratione sine alia sententia condemnatoria incurrit: quales Jure decretæ intelliguntur verbis, præteriti aut etiam præsentis temporis significationem habentibus, vg. *Excommunicamus, Anathematizamus, Suspendimus, Qui hoc fecerit, noverit se excommunicatum, Excommunicationi subiaceat vel in eam incidat, Prohibemus sub excommunicatione, ipsò Jure vel ipsò factò, sine sine alia sententia incurrendâ &c.* Sylvester *V. Excommunicatio 1. n. 22. Castro de Lego Penali Lib. 2. cap. 1. Suarez Disp. 3. de Censur. f. 3. à n. 1. & Laiman. Lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 2. n. 3.*

In dubio, an latæ aut ferendæ sententiæ censura sit, anceps reddit decisio Gregorii IX. *e. Si quem 50.* declarantis verbò *Excommunicatio* simpliciter prolatò intelligi Majorem: & si contextus aliud non suadeat, Minorem excommunicationem nunquam venire. Verùm, quia in dubiis, & in peccatis præsertim, benigniorem interpretationem faciendam Juris communis *Regula est 155. §. fin. ff. & 49. in 6.* cum aliquid sub excommunicationis, suspensionis vel interdicti pena simpliciter prohibitum, & verba ambigua sunt, ferendæ potius, quam Jure latæ sententiæ censura decreta censeri debet, ex Sylvestri *V. cit. n. 21. Suarez cit. f. 3. n. 6.* aliorumque DD. sententia communi,

Neque in contrarium facit decisio  
 Grego.